

lem recusandi causam habeat: quia scilicet prudenter timeat damnus aliquod extrinsecum; v. gr. Sigilli violationem, odium Superioris, aut ne is scientia ex Confessione ad externam gubernationem utatur; in tali casu, dico, Parochum, seu Confessarium debere a Superiore licentiam absolvendi petere (caute tamen, et in genere ad aliquem casum reservatum, ne persona poenitentis detegatur) adque ad eam praestandam Superiorem teneri, et obligari, ne reservatio casuum, quae ad salutem animarum, et aedificationem concessa est, ad ruinam, et destructionem tendat, Christoph. Rasler. *de Poenit.* 7. §. 35. apud Engel. *d. l.*

§. VIII. Si vero Confessarius, pro personarum qualitate, cognoverit Poenitentem ignorare Christianae Fidei rudimenta; si tempus suppetat, eum breviter instruat de articulis Fidei, et aliis ad salutem cognitu necessariis, et ignorantiam ejus corripiat, illumque admoneat, ut ea postmodum diligentius addiscat.

54 55 56 Casus iste non est idealis, nec de subjecto non supponente, nam tam in Urbibus quam in locis ruralibus, adeo rudes, et inertes Personae extant (heu nimium!) quibus omnia, quae ad salutem pertinent, in obscuro sunt. Ideoque non sine magna ratione Rubrica haec tria praecipita Confessario facienda. Primo docere ignorantem: secundo corripere ignorantiam: tertio praecipere diligentiam addiscendi imposterum, S. Carolus *cap. 11. num. 19. et seqq. relat. a Campion. d. l. n. 17.* ubi nota, et advertit quae sequuntur: distinguendi sunt articuli necessarii necessitate medii, et necessarii necessitate praecepti. Poenitens qui primos ignorat, nullatenus absolvi potest: imo si alias confessus fuerit cum ignorantia illorum, etiam invincibili, fuit invalide absolutus, et ut valide possit absolvi, debet prius instrui, et instructus debet se accusare tum de numero viciun, in quibus omisit elicere hos actus fidei, tum de numero viciun, quibus neglexerit discere eosdem actus (saltem circumcirca) et tenebatur addiscere. Quod si accedat in Paschate, nec eum possit Confessarius instruere, non tamen absolvat, sed differat absolutionem, utens facultate sibi tradita per *c. omnes utriusque, etc.* Si poenitens ignorat secundos ex ignorantia vincibili, procedatur juxta monita S. Caroli, dummodo qui peccavit in addiscendo, se accuset de viciibus, quibus obligatus addiscere, neglexit, et de omissione recitationis Symboli, quoties ad illam tenebatur. Atque hoc est

corripere ignorantiam, et monere, quod de illa se accuset. Ut tamen imposterum sit diligentior, praecipiet illi adire Parochum, ut illi doceat doctrinam Cristianam diebus Dominicis.

Ulterius Rituale praecipit instruere de aliis ad salutem cognitu necessariis, ut sunt: Oratio Dominica, Praecepta Decalogi, et Ecclesiae, necessaria pro suscipiendo rite Sacramento Poenitentiae. His omnibus addit Corsett. *d. l. c. n. 14.* quod si Poenitens adeo rudis sit, ut nesciat articulos Fidei, et alia necessaria ad salutem, breviter, prout opportunitas loci, et temporis concefferit illum instruat.

17 Verum si affluentia Populi adeo sint numerosa et sedi confessionali ita contigua, ut nonnisi cum periculo revelandi istam Poenitentis ignorantiam, haec instructio fieri possit: et hoc idem dicendum, si Poenitens reservatum casum habeat, a quo nequeat absolvi, illum nunquam debet Confessarius dimittere sine manus impositione: nam etsi eum nequeat absolvere, tamen ne hoc aliis innotescat, debet illi dicere, quod propter circumstantes elevando manum, aliquam Orationem, seu Benedictionem pronuntiabit, sine tamen absolutione: atque ita Poenitens non confusus recedet ob denegatam absolutionem. Hic est modus ab omnibus commendatus, nec non a singulis in talibus circumstantiis tenendus, Corsett. *d. Tract. 2. p. 2. c. 4. add. n. 9.*

§. IX. Tum Poenitens confessionem generalem, latina vel vulgari lingua dicat, scilicet Confiteor, etc. vel saltem, utatur his verbis: Confiteor Deo omnipotenti, et tibi, Pater. Peccata sua exinde confiteatur, adjuvante, quotiescumque opus fuerit, Sacerdote, qui confitentem non reprehendet, nisi finita, ut dicetur, Confessione, neque interpellabit, nisi opus fuerit aliquid melius intelligere: Proinde fiduciam ei praebet, et humaniter suggerat, ut omnia peccata sua, rite, et integre confiteatur, remota stulta illa quorundam verecundia, qua praepediti, suadente diabolo, peccata confiteri non audent.

58 Hoc est consuetum initium Confessionum Sacramentalium pro personis non rudibus, et in rebus Religionis instructis; sed non universalis formula haec est. Rudes enim Personae a recitatione peccatorum ut plurimum incipiunt, et iste modus tolerandus est, cum alius haberi nequeat.

59 Non per hoc Rubrica obligat Poenitentem ad generalem peccatorum Confessionem, sed intelligit accusationem ge-

neralem contentam in recitatione integri *Confiteor*, in quo generaliter comprehenduntur peccata commissa *cogitatione, verbo, et opere*.

60 Qui ignorat formulam latinam, recitet vulgarem, quae permittitur personis latinam linguam ignorantibus, Castald. 2. *sect. 14. d. 5.*

Confiteor in compendium redigitur dicendo: *Confiteor Deo omnipotenti, et tibi Pater, etc.* Peccata enim confitentur Deo principaliter, et Confessarius nihil aliud praestat quam instrumentum, et utitur auctoritate sibi collata a Deo: *Quodcumque ligaveris, erit ligatum: quodcumque solveris, erit solutum*, Azor. l. 10. c. 56. *quaest. 1.* authorem facit hujus Confessionis Damasum, ut refert Gavant. p. 2. t. 4. l. 10.

61 Si vero Poenitens, facta hac generali praefatione: *Cogitatione, verbo, et opere*, in exponendis, seu individuandis peccatis cuncta retur, et memoriae labilitas, timor, pudor, et alia facerent, ut quamvis Poenitens in examine diligens fuerit, nihilominus tempore proferendi, et revelandi peccata, vel oblivisceretur illorum vel trepidaret, tunc prudens Confessarius, et discretus, admonetur a nostra Rubrica, ut patientiam praestet adjuvandi cunctantem Poenitentem quotiescumque opus fuerit nempe quando dimidiate loqueretur, et formidando balbutiret. Inservit etiam hujusmodi auxilium ad animum addendum Poenitenti, ut libere loquatur; imo si artificiosum, sive malitiosum esset hoc silentium, seu ista formido, posset dari casus, quod Poenitens agnoscens discretionem et mansuetudinem Confessarii, istud sacrilegum artificium deponeret, et pro veritate plagas suas sanandas aperiret.

62 63 Et hoc eo magis, quia cum Confessarius sit iudex, Iudicis naturam induere, et consuetudinem habere debet. Dum Iudex instruit Processum contra Reum, seu dum pro examine stat, et interrogat, ad reprehensiones, et impropria declinare non debet, ex communi DD. Sententia; eo quia vel timor, vel verecundia imminuunt animum Rei, adeo ut a se accusando recedat, et sileat. Ita Confessarius, totam peccatorum seriem pacifice audire debet, nec eam interrumpere.

64 Tunc vero tempus est moderatae interpellationis, quando vel vitio linguae Poenitentis, vel quacumque alia de causa, non bene intelligeret naturam, seu circumstantiam alicujus peccati, quae mutet speciem illius.

65 De stulta verecundia aliquorum, et de Diabolico rubore in confitendo, bene ait Dionys. Carthusian. 3 *Noviss. Artificioso modo restituit, quod subdole in peccando detraherat Diabolus.*

§. X. Si poenitens numerum, et species, et circumstantias peccatorum explicatur necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget.

66 Hi est locus interpellandi poenitentem, ut distincte naturam, et rationem peccati distinguat, Campion. *loc. cit. n. 19.* ait, examinatores Urbis maxime insistere, ut Sacerdotis approbandi ad confessiones audiendas, curent servare hanc ordinationem Ritualement. Quare qui diligenter se praeparat ad confessionem, saepius intra se videat species, et circumstantias; constitutusque in examine semper attendat, ut petat illas cum numero. Circumstantias vero alias revelare, alias non revelare tenetur Poenitens. Quarum doctrinam satis clare expositam videbis apud Coninck. *disputat. 7. dub. 3. 4. de integritate Conf.* Quae singulae hoc carmine continentur: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Quoad numerum peccatorum, et qua ratione in Confessione sit explicandus, dico, ex communi sententia Theologorum, et Ecclesiae praxi, satis constare Poenitentem quantum fieri potest, teneri numerum peccatorum mortalium quae commisit, exprimere non solum quando diversae speciei sunt, sed etiam si sint ejusdem. Hoc enim sensu *cap. omnis utriusque, etc.* dicit omnia peccata confitenda esse: et clarius Trid: *sess. 14.* dicit, omnia sigillatim esse confitenda, quia alias Confessarius non posset sufficienter statum poenitentis cognoscere,

Nonnullae vero fieri debent limitationes, quae a Coninck. *dict. dub. 7. n. 8. et seqq.* clara methodo exponuntur, ad quas remitto prudentem Confessarium: meum enim non est hic Tractatum Theologiae Moralis elaborare, sed Rubricas tantummodo explicare.

§. XI. Sed caveat, ne curiosus, aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat praesertim juniores utriusque sexus, vel alios, de eo quod ignorant, imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, indeque peccare discant.

67 Ista cautela in interrogando adhibenda est praesertim circa sextum praeceptum Decalogi, et materias ad illud pertinentes. Paucis verbis utendum a Confessario, et verba quaecumque modestiam comitem habere debent, Catech. *de Peni-*

tent. Sed prae omnibus, Reginald. *de Prudentia Confessarii*, alibi citat.

§. XII. Demum, audita Confessione, perpendens peccatorum, quae ille admisit, magnitudinem, ac multitudinem, pro eorum gravitatem; ac poenitentis conditione, opportunas correctiones, ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna charitate adhibebit, et ad dolorem, et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendam, ac melius instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet.

68 Quinque monita proponuntur hic Confessario. Primo monebit Poenitentem juxta gravitatem criminum, ac necessitatem poenitentis, ut cognita hujusmodi gravitate, perpendat errorem suum.

Secundo monebit indutus charitate paterna: quare animadvertat quod importat charitas, et Charitas Patris, qui ad rectam viam desiderat Filium perducere.

Tertio inducet ad dolorem: non quod indolens debeat accedere Peccator ad poenitentiam; sed quod hic inspecta gravitate peccati, debeat augere dolorem quantum fieri potest.

Quarto inducet ad mutandam vitam, qui fructus principalis est rectae Confessionis.

Quinto, dabit remedia ne relabatur; ad instar optimi Medici, qui praeservativa solet praestare ad evitandas recidivas, quae quandoque morbo antecedenti pejores sunt, *Campion. d. l. c. num. 21.*

§. XIII. Postremo salutarem, et convenientem satisfactionem, quantum spiritus, et prudentia suggesserit, injungat, habita ratione status, conditionis, sexus, et aetatis et item dispositionis poenitentium. Videatque ne pro peccatis gravibus levissimas poenitentias imponat, ne si forte peccatis conniveat, alienorum peccatorum particeps efficiatur. Id vero ante oculos habeat, ut satisfactio non sit tantum ad novae vitae remedium, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum castigationem.

69 70 71 Poenitentia, quae poenitenti injungitur, pro satisfactione peccatorum datur, et pro remedio: sed omnia remedia omnibus stomachis, seu morbis non conveniunt: specifica adhibenda sunt, ut aegrum ab infirmitate liberent. Ideo Rubrica praecipit, ut haec omnia habeantur prae oculis in imponenda poenitentia; v. gr. Rustico, et Personae illiteratae non imponenda est recitatio Officii, vel Psalmorum. Viro nobili non injungendus labor materialis; v. gr. inserviendi Fabricae. Foeminae non imponatur peregrinatio ad longinqua loca, et exteras Nationes. Insuper si Poenitens est valde dispositus, et vere cum lacrymis doleat de peccato, iste dolor magnam partem imminuere debet poenitentiae: tanta enim esse potest poenitentis contritio, ut sufficiat ad totius poenae debitae remissionem, *Fulien. de Poenit. l. 3. c. 4. Resol. 2.*

Secus vero si tanta dispositio ad Sacramentum non appareat, gravem poenitentiam imponere non renuat, ut satisfactionem difficili horrorem concipiat de peccato.

72 73 Levem poenitentiam gravibus peccatis non correspondere dicit Rubrica, quia ansa praestatur peccato. V. gr. Sacerdos recitationem divini Officii quotidie omittit. Confitetur; et pro poenitentia imponitur illi onus recitandi Psalm, *Miserere, etc.* Certe in hoc casu Poenitentia est suavior peccato ipso; ideoque posset poenitentem invitare saepius ad transgressionem, si tam parvo pretio compensatur. Sed notandum est, non esse culpa immunem talem Confessarium, eo quia nimis connivet, et peccatum quodammodo permittit: Nec valet dicere quod actualis satisfactio non pertinet ad essentiam Sacramenti poenitentiae, quia nihilominus est de illius integritate. Confessarius autem tenetur integrum conficere Sacramentum: quare tenetur Reum non modo absolvere, sed etiam ipsi condignam, et proportionatam poenitentiam imponere, in qua parte deficeret Confessarius, si nimis levem imponeret, *Fulien. de Poenit. lib. 3. c. 4. Resol. 2.* Unde nimis indulgentes in impositione poenitentiarum Confessarios nostri temporis vocat Denoff. *de Poenitent. seu Instr. Pastor. f. mihi 105.*

74 Poenitentiam praeterea, non esse tantum ad novae vitae custodiam, et medicamentum infirmitatis, sed ad vindictam praeteritorum, statuit Conc. Trid. *sess. 14. cap. 8.* damnando Novatorum Doctrinam, qui optimam poenitentiam, novam vitam esse docebant, ut omnem satisfactionis vim, et usum tollerent. Quod item solemni anathemate damnavit, *sess. eadem can. 14.* Hinc sequitur, quod Poenitens debet acceptare Poenitentiam sibi injunctam, et non expectare Purgatorium, *c. omnis utriusque, de Poenit. et remiss.*

§. XIV. Quare curet, quantum fieri potest, ut contrarias peccatis poenitentias injungat, veluti avaris eleemosynas, libidinis jejunia, vel alias carnis afflictiones, superbis humilitatis officia, desidiosis devotionis studia. Rarius autem, vel serius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus, utilissimum erit consulere, ut saepe, puta semel in menses, vel certis diebus solemnibus confiteantur, et si expediat, communicent.

75 76 77 78 Axioma notissimum illud est: *Contraria contrariis curantur*, quo in hoc casu utendum esse docet Rubrica nostra. Quoad frequentandum vero Poenitentiae Sacramentum, non debet absolute praecipui, sed consuli; una cum communione non omnibus, et singulis confitentibus, sed duplici personarum generi: rarius confitentibus, vel in peccata facile recidentibus ex infirmitate, non ex malitia, vel habitu, vel quia perseverant in occasione proxima, vel se exponunt periculo labendi, *Campion. d. n. 23.* Caeterum ex vi praeepti Ecclesiastici tenentur fideles omnes, ratione utentes, confiteri peccata sua semel in anno. Est communis Theologorum Sententia, et aperte sumitur *ex cap. Omnis utriusque, de Poenitent. et remiss.* ubi praeeptum Confessionis annuae imponitur omnibus fidelibus utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerint: quo statuto comprehenduntur omnes et singuli baptizati, dummodo inter bonum, et malum distinguere valeant, quod non tam ex annorum numero, quam ex iudicii maturitate pensandum est, *Fulien. dict. Resolut. 11.*

§. XV. Poenitentias pecuniarias sibi ipsis Confessarii non applicent, neque a Poenitentibus quidquam, tanquam ministerii sui praemium petant, vel accipiant.

79 80 81 82 Eleemosynas istas neque petere potest Confessarius pro Missis ab ipsomet celebrandis, neque alicui Sacerdoti applicandis. Gravius item peccaret si eleemosynas imponeret Pauperibus vix habentibus unde vivant. Ex quo fieret, ut neque post annum isti possent adimplere talem Poenitentiam. Quamobrem si eleemosynam pecuniariam, aut aliquid aliud sibi dari petant Confessarii, et per artes extorqueant, poterint juste ab Episcopo loci puniri, et suspendi ab exercitio Confessarii, *Monacell. Prax. T. 3. tit. 2. form. 11.*

num. 4. et sic optimum est concilium praeceptivum, *Corsett. de Poenitent. Sacr. tract. 2. p. 1. c. 5. n. 5.* non apponendi in sedibus confessionalibus capsulas pro eleemosynis.

§. XVI. Pro peccatis occultis, quantumvis gravibus, manifestam poenitentiam non imponant.

83 84 85 Ratio hujus praeepti est, quia una cum peccato manifestaretur et peccator. *Concil. Trident. sess. 4. c. 5. can. 6.* damnat Haereticos, qui docent, Confessionem secretam a Divino mandato alienam, et humanum inventum esse. Sensus Concilii est, Confessionem secretam non esse contrariam praeepto Divino, quia scilicet nullum reperitur praeeptum Divinum de Confessionem publice facienda: imo potius esse illi valde conformem: non quod Christus positive statuerit Confessionem fieri secreto, sed quod conformius est iis, quae Christus instituit de hoc Sacramento, ut Confessio fiat secreto, quam si fiat publice, *Fulien. dict. l. 3. c. 3. Resolut. 2.* Ex qua doctrina eruitur, nec Uxori, nec filio familias imponi debere Poenitentias publicas, et manifestas, vel similes, ex quibus oriri possit suspicio erroris gravis, *Campion. n. 25.*

86 Addo hic, incertarum rerum restitutionem, Episcopo esse reservatam, *Gavant. Man. episc. verbo Confessarius, num. 40.* et alii DD. apud *Corsett. d. num. 20.*

§. XVII. Videat autem diligenter Sacerdos, quando, et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt incapaces: quales sunt qui nulla dant signa doloris; qui odia, et inimicitias deponere, aut aliena si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deferere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant: neque etiam eos absolvat, quorum peccata sunt Superioribus reservata.

87 88 Haec Rubrica satis de se patet, nec indiget explanatione. Subdam tantummodo, debere Confessarium circa hanc Rubricam animadvertere ad propositionem damnatam a S. Recordationes PP. Inocent. XI. quae est sexagesima in or-

dine. Propositio est: *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, Naturae, aut Ecclesiae, esti emendationis nulla appareat spes, nec est neganda, nec differenda absolutio: dummodo ore proferat, se dolere, et proponere emendationem.* Haec propositio nimis lata, et Sacramento Poenitentiae injuriosa damnata fuit a praedicto Summo Pontifice die 2. Martii 1679, et eadem occasione confirmata fuit lex Ritualis hujus, et opinio Doctorum, qui prohibent dari absolutionem iis, qui nulla dant signa doloris. Quod ut verificetur, et a Confessario bene dignoscatur, necessarium est ut diligenter, non vero superficialiter videat, et secernat Poenitentes, qui materialiter solummodo accedunt ad Confessionem, et quodammodo furtive rapere absolutionem tentant.

§. XVIII. Si vero quis confiteatur in periculo mortis constitutus, absolvendus est ab omnibus peccatis, et censuris, quantumvis reservatis; (cessat enim tunc omnis reservatio;) sed prius, si potest, cui debet, satisfaciat: ac si periculum evaserit, et aliqua ratione Superiori, a quo alias esset absolvendus, se sistere teneatur, cum primum poterit, coram eo se sistat, quidquid debet praestiturus.

89 Cessante, mortis tempore, quacumque reservatione, in consequentiam venit, quod Confessarius possit quemcumque in periculo mortis constitutum a qualibet censura ligatum absolvere.

90 91 92 Quomodo vero se gerere debeat Confessarius qui invenit Haereticum in articulo mortis constitutum, volentem redire in sinum S. M. Ecclesiae, docet *Campion. Instr. Ord. c. 20. cum Monacell. d. p. 3. Praelud. §. 6. n. 68. ex c. eos qui de sent. excom. in 6. his praecisis verbis.* Debet inducere hunc Haereticum, ut abjuret suas haereses, eliciatque oppositos actus Fidei: Praeterea priusquam absolvatur, debet moribundus quicumque ille sit, sive alius, qui incidit in excommunicationem, dare juramentum de stando mandatis Ecclesiae, seu de se praesentando Superiori legitimo, ad effectum ut eidem obediat pro quanto excommunicationem tulit. Insuper, si opus sit, et fieri possit, debet dare cautionem de satisfaciendo parti laesae: debet etiam Confessarius tali moribundo indicare, quod illum absolvit, et quod remanebit vere absolutus tam in foro Conscientiae, quam in foro fori: nihilominus, si convaluerit, tenebitur se praesentare Superiori legitimo ad effectum standi mandatis illius; et satisfaciendi pro omnibus

et singulis excommunicationibus, adeo ut si negligat se praesentare, reincidat in omnes, et singulas excommunicationes, quibus erat innodatus, et absolvitur in tali articulo, non ita quod redeant praedictae excommunicationes, sed quia iterum Ecclesia excommunicat eum, qui negligit se praesentare.

Insuper in tali articulo debet Sacerdos insinuare moribundo, ut eliciat actus Fidei, Spei, Charitatis, et Poenitentiae.

93 94 Solet accidere ulterius, et saepe, ut vocetur repente Sacerdos ad administrandum Sacramentum Poenitentiae cuidam ab inimico suo lethaliter vulnerato. In hoc casu totum Confessari studium erit circa veniam dandam vulneratori: quod si vulneratus moribundus renuat, non est omnino absolvendus: verum si aeger dicat, se adparcendum esse promptum, sed velle offensorem interpellare ante Judicem, ut Justitiae detur locus, hoc non debet impedire quin absolvatur. Caeteras hujus casus circumstantias habebis apud *Campion. d. n. 13.*

§. XIX. Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, et loquela aegro deficient, nutibus, et signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata poenitentis cognoscere; quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis; vel etiam si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.

95 96 Possevinus in libro *de Officio. Curati, c. 7. de Poenitent. n. 91.* proponit casum Infirmus vocavit Curatum, et enarratis multis peccatis, dixit, se non posse ultra loqui: An Curatus debeat eum absolvere? Medina affirmat: sed videtur dicendum, tunc Confessionem per nutus perficiendam. Si hoc fieri nequeat, et sit probabile, aegrum supravicturum, non absolverem, quia de substantia Confessionis est, ut sit integra. Sed bona pace tanti Authoris, Rubrica diversimode praecipit deberi impertiri absolutionem, dummodo saltem desiderium confitendi notum sit Confessario: Si enim Infirmus vocavit Curatum, non ob aliud fecit, nisi ob desiderium confitendi, et se purgandi a peccatis.

Tutiorem regulam tenenda proponit in hoc casu *Campion. de instructione Ordinandorum, c. 40. n. 14.* hoc pacto: A Poenitente destituto, et morti proximo, si haberi potest signum aliquod Poenitentiae, et praecipue, quod manum Confessario stringat (quamvis hoc signum aequivocum esse possit) tunc impertienda illi est libera absolutio, non vero conditiona-

ta, ut illi qui nullum signum dat, sed Christiane vixit, vel antea petit Confessionem, cui adhibenda est absolutio cum cautela: *In quantum possum, et tu indiges.* Possevim. *dict. c. 7. n. 89. relat a Barbosa de Off. et potest. Paroch. n. 47.*

§. XX. Meminerit porro Sacerdos, aegris non esse injungendam gravem, aut laboriosam poenitentiam; sed indicendam tantum illam, quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant. Interim juxta qualitatem morbi, aliqua oratione, aut levi satisfactione imposita, et acceptata, absolvantur, prout opus fuerit.

98 Poenitentia facilius injungenda aegris gravi morbo, et in extremo laborantibus est, ut offerant libenti animo Deo infirmitatem, et illius dolores in satisfactionem peccatorum suorum. Caeterum si convaluerint, per modum concilii, imponenda est poenitentia laboriosior, et diuturna, peragenda in perfecta sanitate.

99 Ut plurimum aegris imponi solent pro poenitentia, Orationes vocales, et jaculatoriae, eleemosynae (si facultates id permittant) faciendae de mandato sui, vel etiam, si valeat, manu sua. Ideo dicit Textus: *juxta qualitatem morbi;* quia si morbus est gravis, levis esse debet Poenitentia, ne magis ac magis morbus augeatur. Si morbus vero est levis, gravis esse potest poenitentia, sed semper habitu respectu ad gravitatem, et periculum morbi, in quo casu standum est judicio prudentis Medici: ex quo fit ut facilius infirmus inducatur ad acceptationem talis poenitentiae, et sic aliquo modo poenam in futuro saeculo habendam imminuat, Fulien. *d. c. 4. Res. 3.*

ABSOLUTIONIS FORMA.

TITULUS DECIMUS NONUS.

SUMMARIUM.

- 1 Confessarius post narrata peccata devenire debet ad absolutionem.
- 2 Est in potestate Confessarii absolvere, vel non.
- 3 Ante Absolutionem est imponenda Poenitentia.
- 4 Poenitentia est inductiva ad obtinendam Absolutionem.
- 5 *Misereatur.* etc. dicitur. quia a Deo provenit misericordia.
- 6 Manus elevatio, Confessarii jurisdictionem demonstrat.
- 7 Poenitens non dimittendus sine manus elevatione.
- 8 Absolutio clare exprimi debet.
- 9 Absolutionis verba essentialia.
- 10 Suspendio tantum incurritur a Clericis.
- 11 Absolutio brevis in magno Poenitentium concursu.
- 12 Absolutio in periculo mortis.
- 13 Absolutio danda in agone.
- 14 Confessarius dum dicit, *Misereatur,* debet stare aperto capite.
- 15 Dum absolvit, cooperire debet.

1 Quae sequuntur, pertinent ad Absolutionem Sacramentalem, ad quam pervenire debet Confessarius post plene enarrata peccata a Poenitente, post monita, et consilia, et post alios dialogismos, qui necessarii visi sint Confessario ad implorandam a Deo veniam.

§, I, Cum igitur Poenitentem absolvere voluerit, injuncta ei prius, et ab eo acceptata Poenitentia salutari, primo dicit: *Misereatur tui, etc.*

2 Ex illo verbo, *voluerit* deducitur, esse in potestate Confessarii absolvere, et non absolvere Poenitentem, quod tamen debet semper fieri rationabili de causa.